



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendivm Qvæstionvm Regvlarivm R. admodum P.
Emanvelis Roderici Lusitani, S. T. Lectoris Prou. S. Iacobi
Reg. Obseru. Ordin. Mino. Diffinitoris**

Rodrigues, Manuel

Lvgdvni, 1621

Alienatio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-41743

A L I E N A T I O . 25

necessarij subministrentur, tom. 3.
quest. 67. art. 6.

Quod si Syndicus Fratrum Minorum agat nomine Papæ pro Conuentu, & succumbat, verisimiliter potest ad expensas condemnari, cum ut talis habeat aliquid proprij.
ibidem.

A L I E N A T I O .

Vide Procurator.

Abates & alij Pra'lati Conuentuales, qui non habent omnimodam iurisdictionem, nec Monarchicam administrationem rerum Monasterij circa alienationes, non possunt vlo modo sive ad tempus, sive ad semper, res mobiles aut immobiles alicuius momenti absque evidenti necessitate, aut utilitate Conuentus, & consensu communitatis Capitulariter congregatae, in scriptis obtento, alienare sub pœnis excommunicationis & suspensionis ex iure communis alias ius non transferrur, nec acquiritur dominium, sicut nec è contrâ potest Conuentus quidquam alienare sine expresso Superioris

B 3 con

22 ALIENATIO.

consensu. tom. I. q. 27. art. 2.

Priuilegio factō Cistertiensibus omnē eiusmodi alienationem etiam cum dicta solemnitate factam, Generalis Ordinis habita causē cognitione confirmare, & inualidare potest; secundūm quod priuilegium sunt intelligenda multa alia concessa diuersis Ordinibus tam virorum quam fœminarum, quibus illis licet alienare etiam testamento legata, non obstante voluntate testatoris.

ibid.

Ex priuilegio amplissimo Patrum Societatis I E S V , Generali pro tempore existenti, vel Capitulo item generali concessa est rerum omnium Collegiorum eiusdem Societatis dispositio, habita summa- riē tantūm causē cognitione, non obstante contradictione proprij Conuentus; unde licitum est illis renunciare iuri, pro quo aliquis conuentus litigat; & legato nondum tradito, si expedire iudicet. Quod priuilegium aliis etiam Ordinibus communicatur, quamquam in eis sufficiat consensus Provincialis. art. 3.

Hac

ALIENATIO. 23

Hæc tamen fallunt in Ordine Fratrum Minorum, in quo Prælati nullam omnino habent facultatem alienandi, sed eorum dumtaxat Syndicus, qui nomine Papæ de voluntate & iudicio Provincialis ac Conuentus eandem habet autoritatem ad alienandum, quām alij Prælati Conuentuales aliorum Ordinum; vnde de bonis communitatis habito consensu ministrorum potest parentibus aut amicis alicuius Fratris aliquid donare, art. 6. Vide Procurator.

Alienatio rerum Monasterij facta cum eius notabili læsione, & sine solemnitatibus iuris, ut supra, nulla est saltem in foro Ecclesiæ, & obligat emptorem ad restitutionem etiam fructuum, nec contra talerem præscribitur, licet bona fide emptam, art. 10. nisi post centum annos. tom. 3. q. 56. art. 2.

Graues pœnas statutas à Clemente quinto, & Paulo secundo, in male alienantes res Ecclesiasticas, & eos quibus alienantur, vide articulo 13.

B 4 ALI